

» XVIII. Assistentes episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant vel cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

» XIX. Solemniter celebrantes, dum episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

» XX. Non liceat eis uti pulvino sub genibus, episcopo praesertim assistente.

» XXI. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum oloserico velo e collo pendente, nisi pro dignitate, canonico, rectore, etc., solemniter celebrante, vel sacramentum in processionibus deferente.

» XXII. Dignitates, canonici, rectores in processione sanctissimi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

» XXIII. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt in privilegio expressa, ut vetita censi debent.

» XXIV. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, a simplicibus sacerdotibus non differant. Sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duae tantum candelae luceant in altari.

» XXV. Defuncti nequeunt in loculo efferri nec tumulari cum mitra.

» XXVI. In eorundem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito non apponatur mitra.

» XXVII. In insigniis seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu quo expresse concessum sit in litteris apostolicis.

» XXVIII. Quod si super praemissis aliquid exoriat dubium, hoc ad sacram congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

» Si quae vero capitula amplioribus, ac praeter hujusce decreti instituta, privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in sacram congregationem perpendenda deducant ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit oportune decernatur.....

» Quocirca VV. FF. patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum ordinariis per apostolica scripta mandamus ut praesentes nostras litteras, atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate nostra debite executioni demandari, illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet, per opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.»

Est hic notandum cum Benedicto XIV, lib. II, cap. xxiv, *De sacrif. Missae*, n. 9, quod a ternis olim crucis signis sacerdotes populo benedicebant, ut nunc episcopi. Sublatus est ejusmodi ritus a S. Pio V, qui in solemnibus missis duntaxat adhibere eum voluit. Clemens vero VIII statuit ut presbyteri, etiam in Missis solemnibus, uno tantum crucis signo populo benedicant, ut videre est apud Meratum.»

ANIMADVERSIO XXII.

DE MASSONISMO.

Massonismi vocabulo complecti solent omnes illae sectae clandestinae vel etiam publicae, quarum scopus est Ecclesiae auctoritatem oppugnare, necnon legitimam principum etiam saecularium potestatem frangere. Eas porro sectas damnarunt Pontifices fere omnes a Clemente XII usque ad Pium IX, scilicet laudatus Clemens constitutione *In eminenti* 1738, Benedictus XIV *Providas* 1751, Pius VII *Ecclesiam* 1821, Leo XII, *Quo graviora* 1825, Gregorius XVI encycl. *Inter*, Pius IX encycl. *Qui pluribus* 1846, et syllabo encyclicis litteris *Quanta cura* 1864 annexo § 4. Ex praedictis litteris inflicta est « poena excommunicationis ipso facto, et reservata, tam in eum qui ab iisdem societatibus, earum caetibus, conventiculis et aggregationibus non se abstinuit, vel easdem quoquomodo juvat ac fovet, quam in eum qui illos non denuntiat quos noverit his societatibus nomen dedisse vel consilium, auxilium aut favorem praestasse.» Iterum sub excommunicatione ipso facto incurrenda et reservata « prohibentur omnes libri, statuta, manuscripta, codices harum societatum sicut etiam illos vel legere vel retinere; quod idem valet de omnibus libris ad illarum defensionem exaratis.» Quae omnia legitimo superiori sub gravi tradi debent.

Cf. Adnotationem XX supra.

ANIMADVERSIO XXIII.

DE PROCURATIONIBUS EPISCOPO AUT VICARIO CAPITULARI ECCLESIAS VISITANTI DEBITIS.

Auctor noster, *Tract. de regulis juris*, cap. II, ad reg. LXXXIII, hoc volumine pag. 177, illud docet: « Visitans episcopus ex justa causa bis vel saepius in anno ecclesias, aut monasteria sibi subiecta, non tantum semel, sed etiam saepius, toties nempe quoties visitat, exigere potest procurationem moderatam.»

Textus ille corrigendus est; quamvis enim episcopus visitationem instituere possit etiam intra annum toties quoties opus fuerit, semel tamen duntaxat procurari debet, ut diximus sub Adnotatione XXVI voluminis quinti. Sic insuper se habet Benedictus XIV, *De syn. diac.*, lib. X, cap. x, n. 6: « Ne quisquam pastorem visitationem iterantem insimulet, quasi crebrius ad suas oves accurrat ut eas saepius tondeat, non autem ut earundem morbis novum afferat medicamen, propterea cum Sacra Congreg. episcoporum et regular. anno 1586, tum Sacra Congreg. concilii, die 16 sept. 1682, censuerunt episcopo bis eodem anno diocesim visitanti unicam tantum deberi procurationem. Examinato quippe sequenti articulo: « An episcopus qui, si commode fieri possit, diocesim suam quotannis » visitare tenetur. possit huiusmodi visitationem

» facere per mensem vel circiter, antequam labor integer annus a die peractae ultimae visitationis, vel potius debeat expectare quod anni circulus integre compleatur antequam denuo visitet, ita ut intra singuli cujuslibet anni cursum una tantum visitatio fiat? » S. C. C. praedicta die et anno respondit: « Affirmative, sed non posse recipere procurationem, neque vicualia, nisi semel in anno.»

« Cui quidem responsioni concinit alia ab eadem S. C. data die prima julii 1737 in causa *Policastren. procurationis*, in qua proposita quaestione: « An episcopus, non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eandem ecclesiam visitare, et aliam procurationem a visitandis exigere? » Responsum fuit: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.» *Thes. resolut.*, t. VIII, pag. 87.»

« Huc etiam pertinet quod ab eadem S. C. decisum fuit quoad procurationem solvendam vicario capitulari. Diximus superius, lib. II, cap. IX, n. 5, posse a vicario capitulari diocesim visitari post annum a die ultimae visitationis ab episcopo peractae, sed quoniam non decet ut ipse cum tanto incedat comitatu quanto indiget episcopus, qui majori praefulget dignitate, idcirco S. C. die 28 julii 1708 in causa *Ostunen. procurationis*. impressa t. IX, *Thesaur. resol.*, p. 172, rescripsit « vicario capitulari deberi tantum medietatem » procurationum quae episcopo solvi consueverunt; tunc enim pacto servabitur indemnitas ab expensis quae visitationis causa occurrunt, sed nihil lucri ex ea percipiet.»

ANIMADVERSIO XXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE BENEDICTI XIV DE CONCURSU HABENDO PRO PAROCHIALIUM ECCLESiarUM COLLOCATIONE.

« VV. FF. patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, Benedictus PP. XIV.

» VV. FF. salutem et apostolicam benedictionem.

» Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum, et dominicis gregis custodia crederetur; quia totius familiae status, et ordo nutat, si quod requiritur in corpore non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim S. Trident. synodi decretis provide consultum est regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare. Quia vero perniciose apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis

ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur; san. mem. Innocentius XI, praedecessor noster erroneam doctrinam a vera, et sincera patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit quam prudens, ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

» § I. Ad tramites idcirco ejusdem sanctae synodi, usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cujuslibet aetate, moribus, doctrina, et sufficientia solerti inquisitione, episcopus eligat quem caeteris magis idoneum judicaverit.

» § II. At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus aequo iudicio, minus digni dignioribus praepresentantur, sa. me. Pius V. noster praedecessor, ne quid in hujusmodi electione esset inordinatum, atque praeposterum, edita saluberrima constitutione, licere voluit injuste in concursu rejectis, interposita ad metropolitanum, vel episcopum viciniorum, vel Sedem quandoque apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquo modo retardata praeelecto ab ordinario parochialis ecclesiae possessione.

» § III. Consultissima hujusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperit magistris, novi antiquis, rudes praeferrantur emeritis, violatae sunt hominum fraude, et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim rejecti ab ordinario, dictae constitutionis obtentu in vocem appellationis facile prorumpere, et minus legitima concurrente causa, electos ab episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis, et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis, et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia, et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

» § IV. Quin etiam experientia compertum est magno justitiae detrimento litem ipsam absolvi, quandoquidem ii, qui examini se subjecerant, atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, rejecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam litteris ex industria navantes operam, praeferrari aliis merebantur, et acerbè succensebant episcopo, judici quidem adeptae non autem adipiscendae peritiae, per injuriam se fuisse rejectos.

» § V. Hinc apud bene moratos homines, et justitiae vindices, frequens querelarum occasio: quibus sedandis cum congregatio concilii Tridentini interpres omne studium diligentiamque conferret, Nobis, qui secretarii munere fungebamur, mandatam est, ut sermone, typis postea vulgato,

rem sedulo expendere, ingruentis mali erigiem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re nostros explicantes, vicio potissimum laborare comperimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: electi siquidem ad curam animarum ab ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, jus legitimæ collationis tueri non poterant certo, ac permanenti testimonio jam probatæ idoneitatis; sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi iustitiæ detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibito indebitæ rejectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelæ occurrere posse censuimus, si certa primum, et apte disposita habendi examinis forma præscriberetur; si questiones examinatis propositæ, et consentaneæ illorum responsiones, totaque rei gestæ series in scriptis redigeretur; et si acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.

§ VI. Inita a nobis consilii ratio non solum arrisit congregationi, illam die 16 Novembris 1720, ratam habenti; sed etiam pontificii iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI, ecclesiasticæ disciplinæ vindice, et assertore eximio. Utque locorum ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, et diligentia exequerentur, iis datæ sunt die 10 Januarii 1721 opportune litteræ nostro calamo exaratae, ejusdemque pontificis sensu, et oraculo comprobata, quarum tenorem, etsi alias prælo commissum, et insertum in bullario dicti Clementis prædecessoris nostri, congrue hic duximus referendum.

§ VII. Reverendissime domine uti frater. Quo parochiales ecclesiæ dignioribus personis gubernandæ traderentur, statuit, ut notum est, sacrosancta Tridentina synodus sess. 24, cap. XVIII, ut, vacante ecclesia parochiali, indiceretur, et fieret concursus; ac, postquam concurrentes ab episcopo, vel ejus vicario generali, atque ab examineribus synodalibus saltem tribus, examinati, et approbati essent, episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis, et opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum iudicaret. Adjectique ad hanc concilii sanctionem validius confirmandam re et nomine sanctissimus pontifex Pius V, quod, si unquam episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui rejecti essent, a mala ejusmodi electione ad metropolitanum, vel si, ipse eligens metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem ordinariam, ut Sedis apostolicæ delegatum, vel alias ad ipsam Sedem apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice, et ejus examineribus, provocare ea tamen cautione, ut appellatio non in suspen-

sivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in ejus constitutione, quæ trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constituto de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque concilii decreto, neque Pontificis bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; difficile dictu est, quanta examinum aliorum alibi diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eadem omnibus questiones, non iidem casus propositi fuissent, erant identidem, qui, vel in iudicio, vel extra conquirebantur, sibi quidem postpositis difficiliore, præelecto autem faciliores ad solvendum questiones obtigisse. Alibi vero eadem quidem omnibus questiones propositæ fuerant, sed neque hæc, neque datæ a concurrentibus responsiones, scripto, seu litteris consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam, jure bullæ supradictæ, novum ad examen iudice appellationis, ejusque examineribus, electum provocaret, S. congregatio usque ab anno 1603 considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine, probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine necdum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio: in quo, probato, per novum examen appellantis, gravamine quoad doctrinam, probanda superest ejusdem præ jam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis præstantia, ut de majori alterutrius ad parochialis ecclesiæ gubernium idoneitate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam sacra congregatio sententiam scriptores, et tribunalia laudarunt. Aliis demum in diocesisibus laudabilis invaluit consuetudo ut eadem omnibus questiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo Marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, qui interrogati fuerint, quæque responderint sua manu perscribant.

Atque ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenere, sacre deinde congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, an his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantis, indulgenda, nec ne, statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinæ facile alioquin probare possent; quod alii, aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo, seu novo examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiæ in administrandis diu ecclesiis laude præstantes, qui monerent frænum aliquod hu-

iusmodi appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quæ vix unquam sine magno ecclesiarum jamno contingunt. Nam cum novum examen coram iudice appellationis longe procul a parochia peragendum sit, electus ab episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque œconomus, vel vicario cuiuspiam, veluti sponsam ignotis custodibus, relinquere, sponso non parumper, sed diu sane abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, examina, super præstantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adjudicanda.

Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasionem, sacra congregatio concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione 1 octobris et 16 Novembris 1720, summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per præsentis litteras encyclicas exequitur) omnes, et singulos episcopos aliosque prælatos, penes quos sit jus, et auctoritas faciendi concursus, hortari, ut ejusmodi instituire non graventur, quale jam et multæ dioceses, et Urbis ipsa observat, atque apostolica eam Dataria postulavit; sive, cum, Sede vacante, vacat ecclesia aliqua parochialis, cujus collatio ad Sedem apostolicam pertineat; sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, juxta decretum; sive demum, cum, vacante in collegiatis, aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua majori, annexam habeat curam animarum, faciendus est concursus, atque ad apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in litteris, quæ de ordine Sanctissimi tunc e Dataria prædeunt, clare præscribitur.

Vacante itaque ecclesia parochiali, quæ convocanda sit per concursum, atque hæc solitis formulis iudicio, hæc, quæ sequuntur, ex sacre congregationis sententia, consilio, suasionem servanda proponuntur.

I. Primum nempe, ut assignentur eadem omnibus concurrentibus questiones, iidemque casus, iidemque textus Evangelii, super quo sermonis aliqui perscribant, ad præbandam dicendi probationem facultatem.

II. Alterum, ut casus, et questiones resolutæ dicentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore in Evangelii tradatur.

III. Tertium, ut certum, et eamque certum spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, questionibus respondeant, concinnatam componant.

IV. Quartum, ut eodem concurrentes omnes

in conclavi claudantur, unde, quando scribentur (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, et exhibuerint.

V. Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

VI. Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

VII. Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a cancellario concursus, verum etiam ab examineribus, et ab ordinario, vel ejus vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.

Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior iudicatus fuerit, Ecclesia parochialis, non admittatur appellatio, aut a mala relatione examinerum, aut ab irrationabili iudicio episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa, et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a cancellario concursus, atque altero notario collatum, et auscultatum coram vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adjungendi electio pertinebit; necnon ab examineribus synodalibus, qui concursui interfuerint subscriptum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut a mala relatione examinerum, aut ab irrationabili iudicio episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a sacra congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum et in iudicio appellationis persequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, irrationabili iudicio episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestacionibus, et documentis examinacionibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit sacra congregatio, et Sacrosanctus assensit.

At si quis tamen ordinariarum, aliter ac supra descriptum est, concurrentium examina instituire peremerit, perget et sacra ipsa congregatio more pristino appellantis, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere, licetiam tamen, ac harum litterarum memoria